CONCLUSIONES
UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ
IN COLLEGIO CICOGNINO SOC. JESU

Publicè propugnandæ


AB HIERONYMO XAVERIO GASPARINO LUCENSI

EJUSDEM COLLEGII CONVICTORE,

SANCTISSIMO DOM. NOSTRO

CLEMENTI
UNDECIMO
P. O. M.

DICATAE.



FLORENTIÆ
Apud Michaelem Neſtenus. MDCCVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google


CLEMENS XI. PONT. MAX.
Antᵒ Odatius pinx.
Arnoldus van Westerhout fec Romæ
Stampano alla Minerva

BEATISSIME
PATER.

PRæſidium, quod ab ingenio meo Philoſophia noſtra deſperat, tuos ad Pedes, BEATISSIME PATER, advolvitur, ut accipiat a Patrocinio tuo: neque vicariam Numinis majeſtatem licet tenuitatis ſuæ conſcia pertimeſcit; cum te longè præſtantiorem & Mæcenate, & Auguſto bonarum artium fautorem videat. Scilicet ſtudiis illis, ac diſciplinis, quibus in ipſo juventutis flore ad præſentis, & futurarum ætatum miraculum excultus, ornatuſque es præclaram

adeo in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſitus vicem rependis, ut longè plus, quàm ab ipſis quondam acceperis, tutelæ conferas, atque ornamenti. Hoc nimirum in maximarum virtutum tuarum auctarium cedere debuerat, ut tecum regnaret Sapientia, nobiſque lætari jure liceret ea demum deveniſſe tempora, quibus non fortunæ tantum, ut dolebat ille, honor deferretur, ſed virtuti. Laudabunt alii te meritorum, non annorum numero prælatum cæteris in Sede Vaticana, ut ingens ſtaret omnibus documentum, Romæ ſummæ virtuti demandari ſummum Imperium. Gratulabuntur par Chriſtianæ Reipublicæ laboranti difficillimis temporibus caput ſuffectum, Principibus veneratum, formidatum hoſtibus, omnibus admirandum, Pontificem denique ſingulari numinis indulgentia datum, ut humanum genus bellorum malis afflictum erigeret, & inter communes, quibus undique premimur, calamitates, nos noſtris periculis auguſtiores faceret, daretque nobis novum fatum. Gratulari mihi tamen in præſentia fas ſit eum ſtudiis meis, Patronum elegiſſe, qui ad Sapientiam accedenti, pro Sapientia pugnanti non modo exempli, ſed etiam ornamenti ſit, atque præſidii. Vale.

SANCTITATIS TUÆ

Humill., Addictiſſ., atque Obſequentiſſ. Servus.
Hieronymus Xaverius G aſparinus.

Digitized by Google

A. M. D. G. B. V.

CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ.

EX LOGICIS.

I.

PRÆTER Logicam naturalem, quæ cum ipſo intellectu omnibus hominibus innaſcitur, datur etiam Logica artificialis, hoc eſt habitus dirigens intellectivam potentiam ad eliciendas operationes rectas. Hanc non ſolùm Virtutem intellectualem, & Artem, ſed Scientiam aſſerimus, & quidem, practicam ſimpliciter: operationes enim noſtri intellectus, cum per præcepta dirigibiles ſint, à ratione praxis jure excludi non poſſunt.

II.

Objectum Logicæ artificialis latè ſumptum eſt omnis noſtri intellectus operatio, omnis enim eſt capax rectitudinis ſeu conformitatis cum præceptis Logicæ. In hoc objecto operatio præſcindens à rectitudine, vel pravitate pro objecto materiali aſſignatur; rectitudo verò ipſa rationem habet objecti formalis. Quamvis autem in omni operatione dirigenda allaboret Logica, ad tertiam tamen,

tamquam ad ultimum ſuum finem, aliarum rectitudinem refert, eoque obtento, quieſcit.

III.

Ad Scientias reliquas in gradu perfecto comparandas Logicam artificialem non abſolutè neceſſariam putamus, cum ad id etiam ſine miraculo præſtandum ſola naturalis ſufficiat: in hoc tamen tanta relucet difficultas, ut intellectum Logica artificiali deſtitutum perfectam Scientiarum cognitionem aſſequi cenſeamus moraliter impoſſibile.

IV.

Univerſale, unum videlicet aptum eſſe in multis, & prædicari de multis ex unitate, & multiplicitate conſtituitur: hoc repugnat dari à parte rei. Reiiciendæ propterea ſunt Ideæ Platoni attributæ, ſive naturæ univerſales extra Deum, ſeparatæ à ſingularibus, & ab ipſis participabiles. Negandum etiam eſt propter eamdem rationem Univerſale per inexiſtentiam, ſeu per indifferentiam.

V.

Univerſale ergo Logicum ſolum fundamentaliter datur à parte rei, formaliter verò per ſolam operationem intellectus attingentem plura ita confusè in ratione aliqua communi, ut eorum pluralitatem nullatenus diſcernat. Etiam dum actu prædicatur de ſuis inferioribus univerſale totam ſuam retinet univerſalitatem.

VI.

Univerſale in communi à Porphyrio dividitur in quinque Prædicabilia, Genus nimirum, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Differentia, quæ eſt tertium prædicabile, alia eſt purè numerica, quæ non tam differentia, quàm mera diſtinctio dicenda eſt (neque enim cenſemus dari in individuis ejuſdem Speciei exigentiam hujus potiùs, quam alterius determinatæ collectionis accidentium, quæ caracteriſtica vocatur) alia eſt ſpecifica, quæ quidem non rectè explicatur, ſi dicantur ea differre ſpecie, quæ differunt in prædicato nobiliſſimo, aut notabiliter judicio prudentum, aut in prædicato ſe tenente ex parte formæ. Ea igitur differunt ſpecie,

quæ

quæ convenientia ſub eodem genere habent diſſimilitudinem aliquam eſſentialem. Poteſt autem reperiri differentia ſpecifica cum æqualitate in perfectione eſſentiali. Repugnat in ſubſtantiis immaterialibus ſpecies immultiplicabilis.

VII.

Voces humanæ articulatæ non ſunt ſigna naturalia rerum, quas ſignificant, ſed ad placitum: ſignificant res, & conceptus: res tamen immediatiùs, & principaliùs. Veritas formalis, quæ eſt conformitas cognitionis cum objecto, non eſt adæquatè intrinſeca actui vero, ſive actus ſit de objecto contingenti, ſive de neceſſario, ſed partim intrinſeca, partim extrinſeca.

VIII.

Eadem formalis propoſitio eſſe non poteſt ſimul vera, & ſimul falſa, neque mutari de vera in falſam, aut viceverſa, etiam in hypotheſi, quod duraret per plura inſtantia. Ex duabus autem propoſitionibus de futuro contingenti altera eſt determinatè vera, altera determinatè falſa. Talis veritas, vel falſitas habetur per objectum futurum, vel non futurum, ut affirmatur à propoſitione. Neque certa, & infallibilis Dei præſcientia futurorum libertatem lædit.

IX.

Scientia propriè dicta, quæ eſt cognitio certa, & evidens rei per cauſam, datur de novo, & non eſt pura reminiſcentia, quidquid in contrarium ſenſerint Academici, & Platonici. Intellectus perfectè attendens ad præmiſſas in Syllogiſmo neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis non ſolùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium. Non repugnat in eodem intellectu actus Scientiæ, & Opinionis circa idem objectum materiale.

EX PHYSICIS.

X.

OBjectum Phyſicæ, ſcientiæ videlicet ſpeculativæ circa naturam & naturalia corpora verſantis, eſt ipſum Corpus ſenſibile: hujus autem Differentia propria non eſt trina dimenſio, aut integritas partium extenſiva, ſed ſenſibilitas radicalis. Principia corporis naturalis in fieri ſunt materia, forma, & privatio: corporis verò in facto eſſe ſunt ſola materia, & forma.

XI.

Syſtema Epicureum, Carteſianum, Elementare, Chymicum, & aliud quodcumque circa Corpus naturale reiciendum putamus præter Ariſtotelicum, à quo omnes boni Syſtematis partes impleri putamus. Per illud dantur accidentia diſtincta ab omni ſubſtantia, & univerſaliſſima corporis principia ſunt materia, & forma inter ſe diſtincta.

XII.

Materia prima, quæ eſt ſubjectum commune corpori tum corrupto, tum genito, eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, habetque actum proprium exiſtentialem. In omnibus corporibus ſublunaribus eſt una unitas ſpecifica, & cum formis, ad quas etiam inæquales habet appetitum innatum æqualem, ita connectitur, ut illis tantùm ſupernaturaliter ſpoliari poſſit, licèt ſpoliata omni forma naturaliter conſervaretur.

XIII.

Forma materialis, quæ quidem eſt pars, & non tota eſſentia compoſiti, non poteſt naturaliter exiſtere ſeparata à materia: neque plures formæ diſparatæ exiſtere naturaliter poſſunt in eadem parte materiæ. Utrumque tamen Divinæ Omnipotentiæ poſſibile negari non poteſt.

XIV.

Admitti non debet in compoſito forma totalitatis diſtincta à materia, forma, & unione. Hæc autem unio, qua materia & forma uniuntur, & intrinſecè determinantur, ut in unum compoſitum coaleſcant, eſt entitas diſtincta, eaque ſubſtantialis in omnibus compoſitis ſubſtantialibus.

XV.

Tam materia, quàm forma, quàm totum compoſitum eſt natura, quæ definitur *principium motus, & quietis in eo, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens*. Ars non poteſt ſe extendere ad opera naturæ, licèt imitari illa ſtudeat applicando activa paſſivis. Qua ratione non eſſe phyſicè arti impoſſibile verum aurum conficere videtur, quod tamen moraliter impoſſibile exiſtimamus.

XVI.

Datur vera, & propria cauſa efficiens in creatis, cujus cauſalitas in actu ſecundo eſt quid diſtinctum à cauſa, & effectu, & actio vocatur. Materia aliquam cauſalitatem extrinſecam exercet reſpectu formæ materialis; quia ex virtute propria paſſiva determinat formam ad exiſtendum.

XVII.

Inter cauſas, quæ ſecundum eamdem exiſtentiam cauſant, ſive ejuſdem, ſive diverſi generis ſint, repugnat mutua prioritas pro eodem inſtanti reali; ſicut repugnat eumdem numero effectum pendere naturaliter à duplici, vel multiplici cauſa totali in actu ſecundo, quamvis hujuſmodi dependentiæ, & cauſalitatis poſſibilitas ſupernaturalis negari non poſſit.

XVIII.

Virtus cauſativa Cauſæ Finalis alia eſt in actu primo, alia in actu ſecundo: prima eſt bonitas Finis, non verò cognitio ejuſdem; quæ ſe habet ut conditio indiſpenſabiliter requiſita: ſecunda eſt amor electivus mediorum ad ejuſdem finis aſſecutionem conducentium.

XIX. Præ-

XIX.

Præcipuæ Corporis naturalis proprietates ſunt Quantitas, Locus, Tempus, & Motus. Univerſim quantitas alia eſt finita, alia infinita: utraque vel diſcreta, vel continua. Finita eſt, quæ habet terminum; infinita, quæ non habet. Negandam prorſus cenſemus poſſibilem quantitatem infinitam actu, ſeu Infinitum categorematicum tum in numero, tum in extenſione, quamvis Infinitum ſyncategorematicum non ſolùm poſſibile, ſed etiam ſuo modo, nempe ſecundum aliquam partem exiſtens, admittamus. Creaturam quoque omnium poſſibilium perfectiſſimam inter chimeras reponimus.

XX.

Locus realis omninò vacuus dari naturaliter non poteſt: non quia Gravia ſponte aſcendant, ubi opus ſit ad vacuitates implendas; ſed quia aut preſſio aeris illa ſurſum impellit; aut ubi hoc non poteſt, quia materia ſubtilis præſto eſt. Naturaliter neque plura corpora in uno loco, neque unum corpus in pluribus locis eſſe poteſt, vel per locationem circumſcriptivam, vel per definitivam: ſupernaturaliter tamen utrumque fieri poteſt. Locatio verò ipſa, ſive ubicatio eſt modus ab omni ente abſoluto diſtinctus.

XXI.

Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius. Numerus autem iſte non eſt aliquid a motu ipſo, & ſucceſſione diſtinctus, ſicut diſtinctam de facto cenſemus durationem intrinſecam a re durante, & a motu, per quam nimirum durationem res contingens determinatur ut exiſtat hoc potiùs tempore, quàm alio. Repugnat autem creatura exiſtens ab æterno, ſive per durationes categorematicè infinitas.

EX LIBRIS DE MUNDO, ET COELO.

XXII.

MUndus hic corporeus unicus eſt, neque neceſſariò, aut ab æterno, ſed contingenter, & in tempore a Deo productus. Abſolutè perfectus cenſendus eſt, utpote aptus ad finem ſuum, nempe ad Divinæ potentiæ manifeſtationem. Figura globi terraquei, hoc eſt mixti ex terra, & mari, ſphærica eſſe deprehenditur.

XXIII.

Certum eſt globum terraqueum in centro ſtare immotum, & circa illum ſydera moveri. Syſtema Tychonicum, quod conſtituit Solem, Lunam, & Fixas Terræ concentricas, Venerem, Mercurium, cæteroſque Planetas Soli concentricos, videtur præferendum.

XXIV.

Cœli, qui tres tantum probabiliùs aſſignantur, Planetarium, Stelliferum, & Empyræum, corruptibiles ſunt; adeoque conſtant materia, & forma; non tamen ſolidi dicendi ſunt, ſed potiùs fluidi.

XXV.

Uno excepto Sole, reliqui Planetæ, neque ſunt naturæ igneæ, neque nativam lucem habent. Cometæ conſtant ex materia ætherea, & præcipuè ex effluvijs ſolaribus, vel etiam reliquorum planetarum. Stellæ fixæ lucent propria, & ſibi ingenita luce, & earum natura eſſe ignea videtur.

XXVI.

Corpora Cœleſtia, licet influant in ſublunaria, nullatenus tamen influunt in effectus contingentes, & liberos; adeoque prorſus vana convincitur Priſcillianiſtarum, & Aſtrologiæ Judiciariæ doctrina.

EX

EX LIBRIS DE ORTU, ET INTERITU.

XXVII.

Generatio alia eſt ſubſtantialis, quæ ſimpliciter generatio; alia accidentalis, quę alteratio dicitur. In generatione ſubſtantiali non datur reſolutio uſque ad materiam primam: licèt enim totum ſubſtantiale ſit ſubjectum denominationis accidentium; non tamen totum, ſed ſola materia prima eſt ſubjectum inhæſionis ſaltem illorum accidentium, quæ generationi inſerviunt.

XXVIII.

Alteratio eſt mutatio in qualitatibus, manente eodem ſubjecto ſenſibili. Tam alteratio intenſiva, quàm extenſiva quantum ad qualitates corruptivas fit per motum ſucceſſivum, & continuatum; non verò inſtantaneum, vel interpolatum. Intenſio harum qualitatum non aliter fit, niſi per additionem gradus ad gradum.

XXIX.

Soli ſubſtantiæ concedimus virtutem immediatè producendi aliam ſubſtantiam: item in ſe producendi ſuas proprietates. Accidentia verò ſolam virtutem habent producendi in extraneo ſubjecto ſimilia accidentia, quibus ad formam ſubſtantialem diſponatur.

XXX.

Inter conditiones requiſitas ad agendum præcipuæ numerantur approximatio agentis ad paſſum, & diſſimilitudo agentis cum paſſo. Utraque eſt conditio naturaliter requiſita: quare nec actio in diſtans, nec actio ſimilis in ſimile dari naturaliter poſſunt. Effectus Antiperiſtaſis ſine actione ſimilis in ſimile, vel minùs in magis intenſum rectè explicantur per actionem halituum,qui congregantur, vel diſgregantur per circumobſeſſionem qualitatis contrariæ.

XXXI.

Elementa quator ſunt, Ignis, Aer, Aqua Terra: eadem ſunt ad invicem tranſmutabilia; neque remanent formaliter in mixto perfecto, ſed virtute tantùm. Illa etiam gravitare in propriis locis cenſemus non ſolùm indiviſibiliter, & per modum unius, ſed etiam diviſibiliter; itaut una pars Elementi, præſertim fluidi, gravitet ſupra aliam.

EX

EX LIBRIS DE ANIMA.

XXXII.

ANima eſt *actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis*, ſeu *id quo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus primo*. Triplex eſt, vegetativa, ſenſitiva, rationalis; neque enim bruta eſſe pura automata cum Carteſio ſentimus. In eodem vivente nullam admittimus pluralitatem animarum neque ſucceſſivè, neque ſimul ſive totum vivens, ſive diverſas ejus partes informent. Nulla etiam neceſſitas apparet admittendi formam corporeitatis, aut alias formas partiales.

XXXIII.

Heterogeneitas partium, quæ in vivente apparet, non benè adſcribitur actuali diverſitati, & multiplicitati unionis, vel formarum partialium, cum ſatis explicari poſſit per diverſum complexum accidentium ab eadem anima in diverſis corporis partibus exigitum. Inter partes viventis eæ tantum anima rationali informantur, in quibus aliquod exercitium vitale deprehenditur.

XXXIV.

Anima per ſe ipſa, tamquam principium vitale adæquatum immediatè influit in operationes vitales: idcircò in viventibus potentiæ vitales realiter non diſtinguuntur ab anima. Inter actus vitales, qui ſunt motus ab intrinſeco, alii recipiuntur in ſola anima, ut ſunt actus vitales procedentes à potentiis inorganicis; alii recipiuntur tum in anima, tum in materia ut ſunt actus procedentes a potentia organica propria animæ ſenſitivæ: alii demum in ſola materia recipiuntur, ut ſunt actus nutritionis.

XXXV.

Triplex eſt propius actus animæ vegetativæ,nutritio,augumentatio,generatio,quę definitur *origo viventis à vivente,et à principio conjuncto in ſimilitudine natura*. Animæ ſenſitivæ facultates, ſunt quinque ſenſus externi; quatuor item interni, nempe ſenſus communis, Phantaſia, Memorativa, & Extimativa, quibus facultatibus proprii actus

cor-

correſpondent. Animæ verò rationali utpote perfectiſſimæ, etiam potentia intellectiva, & volitiva correſpondet.

XXXVI.

Eſt autem Anima rationalis humani corporis forma informans, & quæ proinde primum eſſe habet in materia, quamvis non ex materia. Hujus immortalitas non ſolùm eſt evidenter credibilis, & credenda, ſed multiplici demonſtratione redditur evidenter vera. Neque ex operationibus, neque aliunde argui poteſt ulla entitativa diverſitas inter individua animarum rationalium.

EX LIBRIS METAPHYSICORUM.

XXXVII.

ENs, quod eſt objectum metaphyſicæ aliud poſſibile, aliud impoſſibile dicitur. Poſſibilitas alia activa, & extrinſeca rebus poſſibilibus, quæ eſt nimirum Omnipotentia Dei, alia paſſiva, & intrinſeca rebus poſſibilibus, quæ conſiſtit in mera non repugnantia prædicatorum conſtituentium ipſum poſſibile, quæ quidem ea ratione ſemper eſt, qua ratione eſt ipſum poſſibile.

XXXVIII.

Proportionaliter diſcurrimus de impoſſibili, cujus intrinſecam impoſſibilitatem reponimus in repugnantia prædicatorum conſtituentium ipſum impoſſibile: hæc licèt impoſſiblis ſit, ſumendo *eſt* in vi verbi non minus quàm impoſſibile eſt ipſum impoſſibile, eſt tamen neceſſaria, ſumendo *eſt* in vi copulæ. Admiſſa autem hac impoſſibilitate impoſſibilium contradiſtincta ab omni impoſſibilitate poſſibilium, negari nequit intellectui vis illam attingendi; & conſequenter formandi verum ens rationis metaphyſicum.

XXXIX.

Inter gradus metaphyſicos, ſive formalitates realiter identificatas ejuſdem individui negamus intercedere diſtinctionem formalem ex natura rei, vel virtualem intrinſecam, ex qua ſequatur præciſio objectiva; ſed ſolam admittimus diſtinctionem rationis, per quam

ea-

eadem indiviſibilis entitas in ordine ad diverſa connotata attingitur.

XXXX.

Ens tranſcendentaliter ſumptum perfectè præſcindit a ſuis differentiis, adeoque eſt univocum. Differentiæ entis etiam realis ſub conceptu proprio differentiarum conſtitutivè præſcindunt ab ente.

XXXXI.

Exiſtentia, forma videlicet illa, per quam res denominantur exiſtentes in illo ſtatu, qui denotatur per particulam *eſt* ſumptam in vi verbi, alia eſt neceſſaria, & propria entis neceſſarii, nempe Dei, alia impoſſibilis, & propria entis impoſſibilis, alia contingens, & propria entis contingentis. Exiſtentiam entis contingentis, ſive rei cujuſque creatæ realiter non diſtingui cenſemus ab ejuſdem eſſentia, ſicut dubitari non poteſt quin exiſtentia entis neceſſarii non diſtinguatur ab ipſo ente neceſſario.

XXXXII.

Negationes contingentes non ſunt aliquid reale, ſive dicatur ens a-buſium, ſive decretum Dei, ſive aliud quodcumque Suppoſitalitas etiam nullam formam poſitivam dicit, ſed ſolùm negationem unionis cum alio digniori.

XXXXIII.

Relatio, a qua ens relativum dicitur, alia traſcendentalis, quæ adæquatè conſiſtit in Fundamento alia prædicamentalis, quæ neque in ſolo fundamento ut connotante terminum, neque in ſola ratione fundandi, neque in entitate ſuperaddita, ſed in complexo ex Fundamento, Termino, & Ratione fundandi conſiſtere cenſenda eſt.

XXXXIV.

Dari Deum non eſt per ſe, & ex terminis notum quoad nos: neque ulla demonſtratio exiſtentiæ, vel poſſibilitatis ipſius reperiri poteſt, quæ ſit omninò independens ab effectibus ejuſdem. Multiplici tamen demonſtratione à poſteriori intellectui benè diſpoſito ſit evidens. Conceptus metaphyſicus Dei eſt *ens à ſe*.

De-

XXXXV.

Deus neceſſariò debet immediatè concurrere ad effectus omnes cauſarum ſecundarum. Non tamen ita concurrere poteſt, ut phyſicè prædeterminet cauſas neceſſarias, aut liberas ad operandum. Cum impoſſibilem exiſtimemus ſeriem naturalem effectuum, determinatio quoad individuum in effectibus producendis habetur pariter à libera determinatione cauſæ primæ.

LAUS DEO, ET BEATISSIMÆ VIRGINI.

Digitized by Google